





458 1928 K 944 8,14  
D. SALOMO CONSTANTINVS <sup>16</sup>  
T I T I V S

FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

R. T.

D E C A N V S

A C T U M I N A V G V R A L E M

A. D. 17. DEC E M B R I S 1798

P V B L I C E H A B E N D U M

I N D I C I T

---

D E R E N V M V I T I I S

C O M M E N T . II.

*Aneurysmatis arteriae renalis sinistrae,  
exemplum.*

D. SALOMO CONSULANTIA

LITIA

DE CIVIA

COLONIENSIS

COLONIENSIS

COLONIENSIS

In prima de vitiis rerum commentatione, renis sinistri in iuvene  
deficientis exemplum proposui. Aliud iam vitium rerum, vel  
potius vasorum renalium, secundum obseruationem, in sectione pa-  
thologica corporis muliebris a me factam, adiiciam. Qui quidem  
casus anatomico pathologicus, mihi alicuius omnino momenti esse  
videtur, cum paucissimo modo de aneurysmatibus arteriarum renalium  
existent exempla. Haec enim vasa per peculiarem structuram ab  
eiusmodi morbo dilatatione quodammodo sunt munita. Ex anato-  
mia enim fatis constat, arterias, que dicuntur, emulgentes, robore  
tunicarum forte inter omneseminere. Quod enim de omnibus fere  
vasis arteriosis valet, crassitatem tunicarum ratione inuersa cum dia-  
metro teneri; nec ad cerebri, nec ad renalium arteriarum membranas,  
accommodari debet. Quo gracilior arteria, eo crassiores ipsi sunt tuni-  
cae. Aorta ergo pro amplitudine minimas habet tunicas, vt accedente  
fortiore sanguinis affluentis impetu, in eadem longe facilius oriuntur  
aneurysmata, quam in eiusdem ramis remotoribus. In arteria contra  
renali membranae, cum lumine vasis comparatae, duplo crassiores sunt,  
atque firmitate reliquos ramos ex aorta immediate prodeentes, supe-  
rant. Primum ergo crassiores tunicae eiusmodi dilatationem morbo-  
sam impediunt. Porro breuitas arteriarum renalium, quae recta via  
et paruo itinere, statim in renes inferuntur; atque angulus rectus, vel  
fumme acutus, quo haec arteria, inprimis in latere sinistro, ex aorta  
in viciniis corporis vertebrae lumbalis primae, oritur, huic consilio  
prospicit. Vtique mechanismo, sanguis celeri, nec impedito cursu,  
ex aorta renes intrat, nec per crebros tortuososque fluxus, quibus san-  
guinis cursus lentelicit, nec illo alio impedimento, quod dilatatio-  
ni tunicarum ansam praebere possit, retinetur. Ipsiæ anomaliae in  
arteriarum renalium diramationibus, quibus duo, tres, interdum qua-  
tuor rami minores ad unum eundemque renem tendunt, sanguinis  
levant affluxum. Occasionales quoque causæ, externe accedentes,  
quibus aneurysmata extremitatum, vel arteriarum, quae superficie

corporis externae propiores sunt, producuntur, renes raro afficiunt. Licit tamen nec praedisponentes nec occasioales causae huic vitio organico in renibus sauere videantur, exempla tamen aliqua existant, meamque quam habui, obseruationem, statim subiungam.

Matrona lustrum decimum aetatis suae fere emensa, inde a decem ultra annis, fortē arteriarum in superiori lumborum sinistri latere regione, pulsationem fuerat perpessa. Qui vehementiores arteriae ictus nec dolore, nec alia ratione molestias aegrotiae crearunt, ipsam modo de triflī huius mali exitu anxiam redentes. Per plures annos ea incommoda, quae dilatationes vasorum maiorum, sub motu corporis fortiore, vel sanguinis orgasmo, comitari solent, constanter tulit. Interdum modo, impedimentis imi ventris, vel aliis causis accedentibus, quas nec strictissima diaeta plane vitare valemus, pulsus arteriae dilatatae eum in modum augebantur, ut ipso tactu externe perciperentur. Ne tunc quidem illa pulsus in aliis partibus mutatio, obseruata fuit, nec animi deliquia, aortae aneurysmatibus familiaria, accesserunt. Post aliquot demum annos symptoma prodiit, quod de morbo in viscerum, lotii se- et excretioni destinatorum officina, in primis in renibus haerente, nos reddidit certiores. Vrina rubra, mox lucidius, mox obscurius tincta, aegrotae mouit attentionem. Lotium vero rubrum vitro collectum, tum vrinam, sanguine modo tinctam, tum sanguinem ipsum, maiori seri quantitate dilutum, obrulit. Quod enim nictus cruentus, ex renibus profluentis, signum afferunt pathologi, hic optime obseruabatur. Nunquam sanguis vere grumosus in fundo vasis subsedit, sed aliqualis modo pars paulo grauior, successive basin viti petiit, ut pars leuior et aquosa in superiori vasis regione, lucidior euaderet. Ultimo aetatis anno haematuria longe frequentior, vires subinde debilitauit, ut cum febricula irregularis, lyene vergente irruisset, aegrotam veris initio prosterneret. In omni huius febriculae decursu, praecipue dolor in regione lumborum, per inferiorem dorsi partem serpens, constans fere, notandus fuit, qui nec internis, nec externis remediis compescendus, aegrotae molestissimus erat. Proxima tamen mortis causa minime in hoc renum vitio quaerenda,

sed dispositioni scrophulosae, qua nobile pulmonum viscus affectum fuerat, tribuenda est. Tussis sicca, breuis, frequens, somitem mortuum in pulmonibus haerentem, aperte prodidit, quin sputa tenaciora, abundantanter screata eiecta, diagnosin confirmarunt.

Accuratus corporis mortui examen, mariti, pro eo, quo ad augendas disciplinas tenetur fervore, consensu, institutum, dubia medicorum de natura huius vitii iudicia, firmavit. Iis ergo, quea non proxime ad hoc rerum vitium illustrandum faciunt, relicta, notamus modo, sinistram arteriam renalem ita fuisse dilatatam, ut quadruplo fere naturali amplior, mox in oculos incurreret. Ulterior quoque huius arteriae in substantia rerum distributio, ordinem tenuit consuetum, vi in tres ramos maiores abiret, inter quos medius praecipue amplitudine excelluit. Ren ipse flacidus, papillulae vero laxiores erant. Scrophulosae denique dispositionis effectus in abdominis reperiusque visceribus, erant conspicui, quo indurations praecipue referendae sunt.

Similia aneurysmatum renalium exempla inquirens, duo modo, quos DANIEL NEBELIVS in Ephemeridibus Naturae Curiosorum Cent. IX. obs. 59. (Augustae Vindel. 1722. pag. 142 sq.) proposuit, reperi. Quorum quidem prius vix attentione dignum est, cum eiusdem expositio manca admodum sit, nec verum aneurysma subfusile videatur. Post resectum testiculum dextrum in viro triginta annorum, dolor in dextra lumborum regione, iuxta ductum vasorum spermaticorum, obicitur, qui per duos fere annos, sensu ardoris et pulsationis auctio, totum crus dextrum occupauit, tumorem ibidem effecit pectenatosum, quibus tandem mors subsequitur. In sectione, renem dextrum putridum vidit, cui, ut et vicinis lumborum partibus adhaesit aneurysma proximae arteriae magnae, quod ex tenacibus et rubicundis membranis hic illic corruptis, et coagulato sero quoque fanguine repletis, constans, decem circiter librarum pondus aequauit. Maioris momenti alterum est exemplum, quod ipse Auctor a. 1717. in sectione corporis amici, atque medici practici haud ignoti, obseruauit. Ante

quatuor annos aegrotus in sinistrum dorsi latus, equitando de lapsus, dolorem statim sensit, qui sensum cum pulsatione continua in loco affecto coniunctus, augebatur praeter externas inflammationis notas intumuit, donec subitaneo et vehementi dolore in loco tumente suberto, repente aegrotus moreretur. Aneurytma in latere caui abdominalis sinistro repertum, caput triennis infants magnitudine quodammodo referens, in tumore concavum, e membranis distincto, coagulatoque sanguine repleto, haesit ren sinister flaccidus et putridus. In ipso aneurysmate foramen duorum digitorum, cuius rupturae, subitanea sanguinis evacuatio, et mors repentina, tribuenda est.

Quas hucusque proposuimus observationes, diligentiore fane merentur discussionem, quam occasione, hac ipsa hebdomade instanti, seruamus, et iam quo nos officium vocat, properamus. Benevolentia enim Lectorum concilianda est.

VIRO PRAENOBILISSIMO  
CAROLO AVGVSTO FLEMMING

DRESDENS  
MEDICINAE CANDIDATO;

quo consilio ipsum, vitam suam domesticam, scholasticam et academiam hucusque gesiam, enarrantem, iam publice inducimus.

**N**atus sum Dresdae d. 17. Decembr. anni aerae christianaæ 1775. Patre, IOANNE SAMVELE GOTTLIEB FLEMMING, munere Sacerdotis Koetzschenbrodae prope Dresdam, fungente; Matre, IOANNA FRIDERICA, filia b. RASCHIGII, Concionatoris Aulici Dresdenis, nec non Affessoris Confessorii Supremi ecclesiastici, cuius aui mortem inde ab aliquot annis lugio. Vtrumque vero Parentem, diuini numinis benefico, mihi fratribusque superstitem adiuve esse, vehementer laetor. Prima et christianaæ religionis, et humaniorum literarum fundamenta, in aedibus Parentum posui, Virosque Reuerendos, VOGELIVM, BOETTGERVM, RICHTERVUM, tuuc temporis Ministerii ecclesiastici Candidatos, habui Praeceptores. Horum

Parentum curae et amori debo, ut, elementis literarum imbutus, anno  
 1791. Praeceptoribus Scholae Crucianae, quae Dresdae floret, in disciplinam  
 traditus, ibi per tres integros annos Magistris b.OLPIO et BEVTLERO, usus  
 sum. Grata mente beneficia repeto, quae his duumviris debo, in primis hic  
 praeclaris, insignibusque benevolentiae ac favoris documentis, me ornauit, quo-  
 rum memoriam nunquam obliuioni tradam. Sic ad altiora studia praepa-  
 ratus a. 1794. Lipsiam adii, et a Magnif. ECCIO, Academiae fasces tunc  
 temporis gerente, ciubus academicis adscriptus sum, ab eo inde tempore  
 scholas Viverorum Experientissimorum, Excellentissimorum, Praeceptorum prae-  
 stantissimorum, frequentavi: philosophicas PLATNERI et CAESARIS; physi-  
 cas HINDENBURGII. BECCIO porro scriptores classicos interpretanti operam  
 dedi, HAASIO omnium Anatomiam debo; Botanicen vero HEDWIGIO;  
 ESCHENBACHIVM Chemiae theoreticae et applicatae, nec non Pharmaciae  
 praecerta exponentem, audiui, eundemque in arte formulas medicas concinna-  
 di, secutus sum. Physiologiam a PLATNERO et HEBENSTREITIO didici.  
 Praelectionibus pathologicis LUDWIGII interfui. In primis summis laudibus  
 extollere debo HEBENSTREITII in me merita, cuius dexterrima in-  
 stitutio in Physiologia, Psychologia, Therapia generali, ut et in speciali,  
 et in aliis rebus ad artem salutarem pertinentibus, publice praedicanda est.  
 Laudandus mihi quoque est KOCHIUS, qui materiam medicam mihi expli-  
 cauit; RICHTERO dentique artis obstetriciae Praeceptore usus sum. Anno  
 1796. Dresdam prosector, per totum senestre hybernum duce HEDENO,  
 tunc temporis Theatri anatomici Profectore, cadaveribus concinne secundis,  
 operam dedi; HAENELII acrostibus de Anatomia, DEMIANI de Therapia  
 speciali, TITII de Materia medica interfui. His omnibus Praeceptoribus  
 pro institutione fidelissima, milique utilissima, acque ac pro benevolentia in me  
 collata, gratias ago habeoque maximas, omnesque quoisque viuam, gra-  
 tissimo animo colam. Ita instructus Vitebergam me contuli, a Magnif.  
 FREYBERGIO inter ciues academicos receptus sum, et per aliquod tempus

*ibidem commoratus, prosectorum meorum in arte medica rationem reddidi in examine coram Ordine Medicorum gratioso, quo peracto in numerum Candidatorum Medicinae receptus, iam in eo sum, ut in eadem Academia summos in arte medica honores, rite obtineam.*

In examine ergo, quod a. d. 12. Septembris h. a. non sine laude in Ordinis Nostri confessu sustinuit, iis, et humaniorum litterarum et artis medicae cognitionibus, Ipsum instructum esse, laeti perspexit, ut libenter veniam summos honores capendi, concederemus. Elegit vero Sibi diem castinum Lunae, d. 17. Decembris, quo, ipso die natali vicesimo quarto, Dissertationem: *de Inoculatione variolarum epidemicō contagio varioloso longe praeferenda, proprio Marre elaboratam, contra aduersarios publice defendet. Ad splendorem huius diei augendum, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, COMMITTONES GENEROSISSIMOS, ORNATISSIMOS, solenni ritu publice inuitatos cupimus.*

P. P. Dom. Audentus Christi tertia 1798.

VITE BERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 8, 1797-1801



T0200

Sl.





458  
1928 K 944  
8 J 14

D. SALOMO CONSTANTINVS  
T I T I V S

FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

A C T U M I N A V G V R A L E M

A. D. 17. DECEMBERIS 1798

P V B L I C E H A B E N D V M

I N D I C I T

---

D E R E N V M V I T I I S

C O M M E N T . II.

*Aneurysmatis arteriae renalis sinistrae,  
exemplum.*